DE LUPO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XXXI. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLII.

PUBLICE DEFENDET

Joannes Julius Köhnen

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

PHILIPPUS BLEEK, med. et chirurg. Dr. pract.
LEOPOLDUS KORTEN, med. et chirurg. cand.
AUGUSTUS BIECKER, iur. cand.

BONNAE.

TYPIS C. KRÜGER.

MDCCCLII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO, SUMME VENERANDO

CAROLO GUIL. WUTZER,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, REGI A CONSILIIS INTIMIS, PROFESSORI PUBL. ORDINARIO IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA, CLINICI CHIRURGICI ET OPHTHALMIATRICI NEC NON STUDII CHIRURGICI ET PHARMACEUTICI DIRECTORI, COMPLURIUM SOCIETATUM SODALI, EQUITI CET. CET.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

PIO GRATOQUE ANIMO

AUCTOR.

Prooemium.

Artis medicae tiro, quem ad doctoris honores rite capessendos dissertationem conscribere oportet, facile in dubio versatur, quas res sibi tractandas eligat, non quidem propter inopiam aut difficultatem rerum, sed propter ipsarum abundantiam exiguamque in medicina experientiam. Ita equidem quoque diu de materia dissertationis alicuius meditatus sum, denique autem de lupo agere mihi proposui. Quem morbum ut prae ceteris tractandum eligerem, id me induxit, quod per tres annos in clinico nostro Bonnensi multos aegrotos lupo laborantes observandi occasio mihi data est. Haud parvas hoc in morbo perscrutando difficultates mihi superandas esse intellexi, quoniam usque ad hoc tempus natura mali non plane in lucem producta sit, multique medici clarissimi de eius cura valde dissentiant. Luben-

tissime tamen laborem suscepi, quum illustrissimus Wutzer, praeceptor dilectissimus summe venerandus, libris me adiuturum se esse pollicitus sit. — Lectorem benevolentissimum rogo, ut propenso animo hunc libellum iudicet neve cogitare omittat, tironem fuisse, qui eum conscripserit.

CAPUT I.

Nomen morbi.

Hominum est proprium, ut iis rebus, quarum natura eos fugit arcanique aliquid continet, nomina gravia imponant. Ita medici quoque ei morbo, qui, symptomatibus variis incipiens, decursu irregulari aegrotos vehementibus doloribus vexat, nec facile remediis adhibitis vinci potest, nomina ominosa invenire solent. Quae si in aliquem morbum cadunt, ad eum, de quo agimus, morbum imprimis pertinent, quippe qui ab antiquissimis temporibus nominibus re vera mirandis nuncupatus sit. Graeci medici hunc morbum Ἕρπητα ἐσθιόμενον vocarunt, medici Romani varii variis nominibus eum appellarunt. Usitatissima vero morbi nomina haec sunt: herpes exedens, lupus, lupus vorax, noli me tangere. Praeterea autem in scriptorum operibus multa alia nomina invenimus, inter quae creberrime reperiuntur: „herpes rodens, ferus, phagadaenicus, depascens, papula fera, formica corrosiva, ignis sacer, noma, cancer nasi et faciei. Ex quibus facile concludes, non solum morbi perniciosi naturam esse occultam, sed etiam hunc morbum cum nonnullis aliis, imprimis faciei cutem afficientibus morbis confusum esse.

CAPUT II.

Notio morbi.

Quod attinet ad notionem eius morbi, de quo agere mihi proposui, usque ad nostrum tempus medici non consentiunt. Graeci morbum accuratius non descripserunt, et, quan-

tum equidem scio, Celsus [1]) primus de natura huius mali paucis verbis egit. Qui quidem clarissimus autor: „celeriter serpendo, inquit, penetrandoque usque ad ossa corpus vorat." Postea medici lupum cancrum cutaneum, qui nasum vultumque devastaret, vocarunt. Cl. Anglicus autor, Astley Cooper, [2]) morbum putat esse exulcerationem folliculorum nasi sebaceorum malignam, quae magis magisque se diffundens denique cartilagines nasi exedat. Cl. Chelius [3]) lupum ulceribus herpeticis annumeravit eumque his verbis descripsit. „Herpes, inquit, exedens, rodens, phagadaenicus vocatur, si ulceratio celeriter se extendit, dum infra crustam crassam fluidi acri partes arroduntur et saepe magno circuitu destruuntur." Quamquam haec verba veri aliquid continent, tamen naturam morbi non plane in lucem producunt. Clarissimorum Cazenave et Schedel [4]) operâ descriptionem lupi accepimus, quae rem ab omni parte magna cum diligentia consideravit. Hi viri in libro, quem de cutis morbis scripserunt, hanc lupi definitionem nobis tradiderunt. Lupus est morbus, qui initio interdum maculis ex violaceo rubris, plerumque autem aut maioribus aut minoribus tuberculis lividis, minime dolentibus, se manifestat. Proprium eius est, ut partes circumiacentes telasque subiacentes ulceribus ichorosis malignis destruat, quae ulcera plurimis in casibus crustis subfuscis, tenaciter adhaerentibus, teguntur, quibus decisis destructiones novae apparent. Ceterum iam ex eo, quod viri illi doctissimi lupum certo morborum cutaneorum ordini annumerare non potuerunt, licet iudicare, morbo, de quo agimus, naturam inditam esse propriam, quae reliquorum cutis morborum natu-

1) Celsus: de medicina, libr. V. cap. XXVIII.
2) Astley Cooper: Vorlesungen über Chirurgie. Aus dem Engl. Weimar 1825. Tom. I. pag. 176.
3) M. J. Chelius: Handbuch der Chirurgie. Stuttgart 1830. Tom. I. Sect. I. pag. 341.
4) A. Cazenave u. H. E. Schedel: Practische Darstellung der Hautkrankheiten etc. Aus dem Franz. Weimar 1829. pag. 379.

rae valde dissimilis sit. Cl. Blasius[1]) in definiendo lupo rem acu tetigisse mihi videtur. Herpes exedens, inquit, est morbus destruens, qui cutem externam membranasque pituitarias, imprimis faciei, corripiens in partes profundiores se extendit, nec solum studio industriaque, sed etiam ratione modoque partes destrueudi insignis est. Destruuntur autem partes ulcerationibus malignis ichorosis, quarum circuitus colorem ex violaceo rubrum, lupi proprium habet, quaeque crustis tenacissime adhaerentibus subfuscis se tegunt. Quibus crustis decisis substantiae iactura, etiamsi parva, apparet. Interdum etiam exfoliatione fere occulta partes corrugantur, et omnibus in casibus contractio superficiei affectae, lupi propria, efficitur. Cl. Schiess[2]) optimo iure lupum quasi transitum ab ulceribus herpeticis ad cancrosa ulcera facere putavit, quum propter nimiam appetentiam destruendi partes, tum ob maximam sanandi difficultatem.

CAPUT III.

Symptomata morbi.

Lupus variis in casibus variis symptomatibus se manifestat. — Longe creberrime puncta haud ita magna, purpurea, eminentia, dura, non dolentia oriuntur, quae pathologi tubercula vocant. Haec tubercula tum per longum tempus non crescunt, tum initio magis magisque se evolvunt et stratus cutis superficiales tantum afficere videntur. Interdum acumina eorum squamis parvis, albidis, siccis teguntur. Haud ita raro fit, ut compluria tubercula confluentia superficiem unam, aut minorem, aut maiorem, conforment, quae superficies minime dolens, mollis, post aliquod tempus ulceratur.

---

1) Ernst Blasius: Handwörterbuch der gesammten Chirurgie etc. Berlin 1838. Tom. III. pag. 385.

2) Ludovicus Schiess: dissertatio de lupo. Halae 1831. pag. 8.

Multis in casibus inflammatio tunicae mucosae narium morbum appropinquantem indicat. Alae et acumen nasi colorem habent subrubrum, in naribus crusta tenuis conformatur, qua decisa parva substantiae iactura adest, et destructio initium cepit.

Saepe etiam in aliqua faciei parte, praecipue in nasi acumine, punctum e violaceo rubrum apparet, superficies paulatim inflammatur, crusta superficialis exsistit, et malum in dies peior fit.

Singulis in casibus cutis magis magisque tenuior fit et aspectum cicatricis praebet, nec tubercula, nec ulcerationes apparent, et in superficie correpta unicum morbi symptoma colorem violaceum videre licet.

Denique lupus appropinquans pustulis, impetiginis aut porriginis pustularum similibus, se manifestat. Quae pustulae aut singulae aut complures ex maculis violaceo-rubris, paulum tantum eminentibus, exsurgunt, Dum novae oriuntur pustulae, priores dirumpuntur atque crustis subfuscis, crassis, maxime adhaerentibus, se tegunt, et iam eodem modo, ut supra descripsi, malum decurrit.

Ceterum lupus nunquam fere hominem magnis doloribus afficit, exceptis iis casibus rarissimis, in quibus, ut postea exponam, inflammatio chronica organorum gastricorum post longum tempus mortem adducit. Interdum pruritus minime dolens in partibus affectis sentitur, etiam tum, quum morbus iam vastationes permagnas effecit. Plerumque aegroti tali valetudine utuntur, ac si malum perniciosum omnino desit. Appetio ciborum, somnus, functiones alvi sunt normales, et mulieribus tantum interdum menses irregulariter fluunt.

CAPUT IV.

Differentiae morbi.

Secundum causas, ex quibus morbus oritur, cl. Alibert eumque sequentes multi alii lupum dividunt in idiopathicum (dartres rongeantes idiopathiques), scrophulosum (dartres rongeantes scrophuleuses), et syphiliticum (dartres rongeautes vénériennes). Saepe fit, ut examine exactissime instituto nec externam nec internam causam mali explorare possimus, quod si accidit autores lupum appellant idiopathicum. Lupus scrophulosus originem quidem ducit ex dyscrasia scrophulosa, sed ex multis clarissimorum virorum observationibus constat, lupum morbum localem pertinaciter perdurare nec remediis antiscrophulosis vinci posse, si iam diu omnia morbi generalis et causalis, scrophuloseos, symptomata evanuerint. Lupum syphiliticum vocamus, si ex dyscrasia syphilitica exortus est. Eadem autem ratio intercedit inter hanc lupi speciem et syphilidem, quae est inter lupum scrophulosum et scrophulosin. Nam pari modo lupus syphiliticus per longum tempus restat, nec antisyphiliticis solis remediis sanari potest, si iam nullum syphilidos symptoma reliquum est.

Praeterea morbus multas differentias praebet quod attinet ad locum affectum. Prae omnibus ceteris corporis partibus lupus occupat acumen et alas nasi, labia, genas, mentum, in universum faciem partesque attinentes. Multo rarius invenitur in trunco, (et in hoc imprimis pectus et regio scapularis afficiuntur), tum in extremitatibus, in dorso manus et pedis, et singulis in casibus in collo. Equidem confiteor, me nunquam in spatio trium annorum aegrotum vidisse, (et hoc tempore re vera multos eiusmodi aegrotus vidi) qui alia in corporis parte, quam in facie, hoc morbo laborasset.

Nonnulli autores, inter quos cl. Blasius, lupum secundum originis rationum distinguunt. Longe creberrimi morbus pri-

mum initium ducit a tuberculis violaceo-rubris minime dolentibus, haud multo rarius malum appropinquans pustulis se manifestat, interdum denique morbus ex maculis violaceo-rubris originem ducit. Secundum has tres originis rationes lupus distingui potest in lupum ex tuberculis, lupum ex pustulis, et in lupum ex maculis.

Secundum destructionis rationem lupus in tres, aut si mavis, in quatuor species distinguendus est:

I. Interdum fit, ut in maculis et tuberculis epidermis squamis albidis, splendidis, aut maioribus aut minoribus se exsolvat, haec desquamatio iterum iterumque se repetat, et nihilo minus neque partes correptae vulnerentur, neque secretio innormalis appareat. Hanc speciem rariorem lupum exfoliativum appellari libet

II. Longe crebrius in maculis, tuberculis et pustulis exulceratio oritur humida mala, quae crustis nigricantibus se tegens sensim sensimque partes finitimas sanas corripit Hanc speciem, quam autores lupi exulcerantis nomine comprehendunt, iterum dividere potes in lupum superficialem, qui superficiem leviter tantum destruit, et in lupum voracem, qui in profundum quoque partes arrodit atque destruit.

III. Saepe etiam lupum cum hypertrophia coniunctum videmus, quam speciem hypertrophicum lupum appellamus. Haec morbi species in ratione partes destruendi aliquid prae se fert, ut ita dicam, curiosum. Maxime in facie, quae sedes eius fere unica est, initium capit ex tuberculis paulum tantum prominentibus, mollibus, minime dolentibus. Quae tubercula multis in casibus tot sunt, ut non solum magnam genarum partem, sed etiam interdum totam faciem occupent. Cacumina eorum rarissime quidem exulcerantur, sed paulatim basis largior fit, et cutis telaque cellulosa sine doloribus intumescunt.

Haud ita multo post in facie magnum punctorum subrubrorum numerum videbis, quae quidem puncta nihil aliud sunt quam tubercula, quae ex intumescentia cutis subiacentis cum ea unam planitiem conformant. Puncta candida dispersa in superficie inveniuntur, quae quidem cicatrices sunt tuberculorum, quorum locum tenent. Qua in affectione cicatrices illae eo modo exsistunt, ut tumores parvos, circumscriptos, nec ulceratos nec crustis obtectos sequantur. In tuberculis sine interruptione desquamatio, etiamsi eam non vides, adest, omnesque stratus hypertrophicae cutis, sensim sensimque in superficiem se tollentes, unus post alterum desquamatione illa deleri videntur. — Varietatem lupi hypertrophici autores describunt, in qua ulcerationes, maculas et tubercula sequentes, tumoribus parvis, rubris, mollibus, fungosis, valde prominentibus tectae sunt.

Quibus de differentiis morbi praemissis, hic mihi locus esse videtur, ut commemorem, saepe varias lupi species uno eodemque tempore in eodem homine inveniri. Interdum genae lupo exfoliativo laborant, dum varietas exulcerans nasum destruit, et iterum altera gena lupo exulcerante affecta esse potest, dum in altera gena hypertrophicus lupus sedem habet. Singulis in casibus morbus superficialem tantum cutis stratum corripuit, et nihilo minus hypertrophia exquisitissima adest

CAPUT V.

Decursus morbi.

Omnes lupi varietates quod ad tempus attinet, quo partes destruunt, in variis hominibus varium decursum habent eo modo, ut interdum brevi tempore magnam vastationem proferant, interdum per longum temporis spatium partem aliquam leviter tantum corripiant. Huius veritatem praecipue in lupo

exulcerante cognoscere potes. Permulta enim exempla exstant, in quibus haec morbi species per complurium annorum spatium sine maiore vastatione in acumine nasi perduravit. nec minus multi casus reperiuntur, in quibus paucis tantum diebus nasus totus destructus fuit. Dum modum, quo morbus decurrere solet, accuratius pervestigo, eandem divisionem morbi eligo, qua usus sum, quum de destructionis ratione agerem; primo igitur de lupo exfoliativo, tum de lupo exulcerante, denique de hypertrophico lupo disseram.

Lupus exfoliativus optima, si hoc verbo uti mihi licet, morbi species est, quum rarissime vastationes permagnas efficiat. In facie, imprimis in genis, sedem suam tenet. Neque tubercula exoriuntur, neque crustae se conformant, sed superficies correpta colorem subrubrum habet, et epidermis desquamatur. Cutis laevis, nitida, rubra sensim sensimque tenuior fit, et cicatricis ex adustione superficiali ortae faciem prae se fert. Post tempus aliquod color ruber paulatim evanescere solet, epidermis iam non desquamatur, sed cutis tenuis, nitida laevis manet.

Iam venio ad lupum exulcerantem, et primo qnidem de varietate, quam superficialem vocavi, tum de ea, quam voracem appellavi, paucis verbis agam.

Lupus superficialis imprimis ea morbi species est, quam non solum in facie, sed etiam in pectore, in tergo et in extremitatibus reperimus. In facie interdum superficiem permagnam corripit et ulcerationem formae irregularis procreat. Margo ulcerationis tumefactus pustulis aut tuberculis quasi obsitus est, quibus exulceratis malum crescit. Partes finitimae pari modo tumefactae sunt et colorem lividum, ex caeruleo rubrum habent. Si haec morbi species non rapide procedit, et si medici periti cura malum in melius se vertit, tum maxime in locis primo correptis sensim sensimque cicatrices irrigulares, candidae, prominentes, se conformant, quae

cicatricibus ex adustione vehemente ortis similes sunt. Si autem morbus pertinacem et, ut ita dicam, saevum se praebeat, tum cicatrices iam formatae iterum iterumque exulcerantur, et malum in diem crescit. Clarissimi doctores Cazenave, et Schedel in libro, quem de cutis morbis scripserunt, narrant, se Parisiis in hospitio Sancti Ludovici lupum eiusmodi vidisse, qui in maxilla inferiore incipiens paucorum annorum spatio totum mentum, magnam genarum et anteriorem colli partem destruxerit. Vix commemorandum esse videtur, in hoc casu multo cum studio omnia remedia adhibita esse, quae rapidum morbi decursum morari potuissent. Haud ita raro fit, ut tubercula in labiorum commissuris exoriantur, quibus exulceratis cicatricibusque conformatis anguli oris eo modo contrahuntur, ut aegrotus os nisi maxima cum difficultate aperire non possit. Quamquam haec morbi species primum originem non a naso capere solet, tamen is saepe afficitur, ut simul cum crustis alae et acumen eius decidant. Superficies correpta tum aspera et tuberculis parvis, rubris, conspersa videtur, tum melior est aspectu; paulatim squamis parvis tenuibusque se tegit, quae an epidermide conformentur nescio. Brevi tempore post cicatrices candidae, pluribus punctis firmae oriuntur, et nunc facies, si morbus maiorem eius partem corripuerat, aspectum re vera mirandum praebet. Multas, interdum permagnas, cicatrices irrigulares in ea invenis, quae candidae, interdum rosaceae, adstrictae, splendidae, aliis punctis crassae, aliis autem punctis ita tenues sunt, ut perspicuae videantur. Compluribus in casibus cicatrices hae ad nonnullorum tuberculorum, inter quae teneri videntur, bases pergunt.

Lupus vorax praecipue nasum, quem superficialis afficere non solet, corripit, et in alis acumineque eius exardescit. Haec morbi species permultis in casibus hunc fere decursum habet Coryza, causa saepe ignota, adest, totus nasus cum

doloribus non ita vehementibus intumescit, et in altera eius ala color violaceus apparet. Eadem ala paulo post attrita est et crusta tenui obtegitur, qua sublata minima substantiae iactura conspicitur. Crusta iterum se conformat, iterum decidit, et iam maiore circuitu pars affecta est. Hoc modo crustis conformatis, crustis decisis, malum paulatim crescit, non solum in latera sed etiam in profundum se extendit, et post aliquod tempus totam nasi alam destruxit Haud ita raro aequabiliter etiam altera ala et acumen nasi pereunt, cutis cartilaginesque delentur infra crustas, quibus decerptis ulceratio maligna invenitur.— Nonnullis in casibus neque coryza, neque intumescentia nasi adest, sed unicum punctum tuberculosum, rubrum, laeve, molle oritur, quod postea exulceratur. — Acumine alisque nasi destructis morbus minime quiescit, saepe enim totam reliquam nasi partem cum septo narium devorat, fossas nasales percurrens in membrana pituitaria palati se extendit, et usque ad gingivas procedit, in quas sulcos profundos efficit.—Quamquam, ut supra dixi, lupus vorax praecipue nasum corripit, tamen multis in casibus genas quoque occupat. Tum, si morbus regionem infraorbitalem aggressus est, saepe palpebra inferior amittitur, epiphora exsistit, ophthalmia chronica sequitur, coniunctiva condensatur, cornea paulatim perspicuitatem perdit, et caecitas completa simul cum magna deformitate adest. Si palpebra non tota evanuit, sed cutis infraorbitalis contractione ex cicatricibus orta replicata est, ectropion vides. Aliis in casibus nares aut intumescentia in iis locum tenente aut cicatricibus in iis conformatis conclusae sunt, aliis in casibus conformatione cicatricum in oris angulis os ipsum multo diminuitur. Quibus effectis respiratio, lingua et nutritio maxime impediri facile intelligitur.

Postquam lupus hypertrophicus eo modo, de quo supra pluribus verbis disserui, initium cepit, in casibus gravioribus

hac ratione decurrit et hunc aspectum horridum praebet. Facies mirum in modum intumescit, genae molles flaccidaeque impressionem digiti, sicuti in oedemate pedum fit, aliquod tempus retinent, oculi partibus circumiacentibus hypertrophicis omnino fere sunt conclusi, labia replicata duorum pulvillorum instar sunt, et interdum aures quoque hypertrophia laborant. In iis partibus, quae tuberculis ortis in processum morbi deducuntur, stratus hypertrophici cutis (ut iam eo loco, quo de destructionis ratione egi, a me dictum est) unus post alterum desquamatione, si hoc verbo uti licet, occulta deleri videntur. Id quidem eo modo fit, ut post curatione apta hypertrophiam victam cutis telaque cellulosa vietae videantur. Si haec morbi species in melius se vertit, tubercula sensim sensimque dissolvuntur, sanguinis circulatio in cuti, quae hypertrophiam paulatim amittit, adaugetur et partes magis magisque redeunt in statum normalem, quem rarissime, et si vastatio maior fuit, nunquam prorsus recuperant. — Lupus hypertrophicus saepe cum exulcerante coniunctus reperitur, et tum species exulcerans praecipue acumen alasque nasi arrodit, lupus hypertrophicus autem partes supra et iuxta nasum positas corripit.

Ossa rarissime a lupo afficiuntur, exceptis ossibus propriis nasi, haec autem saepe radicitus evanuerunt, ut apertura triangularis tantum conspiciatur, quae reliquiis septi narium in duas partes divisa est. In his casibus gravissimis morbus interdum exitum letalem habet. Aegrotus queritur de doloribus in abdomine, qui paulatim adaugentur, gastritis, aut enteritis, aut gastro-enteritis chronica exoritur, febris hectica et diarrhoea colliquativa accedunt, et aeger inter maximos dolores miserrime extremum spiritum edit.

CAPUT VI.

Diagnosis.

Medicus peritus in diagnosi lupi raro errabit, quum omnino facilis sit, tiro autem multis in casibus hunc, de quo agimus, morbum cum nonnullis aliis imprimis faciei cutem afficientibus morbis commutare potest. Quam ob rem praecipue huic medico tironi differentias, quae inter eos intersunt, accuratius exponam. Sunt autem morbi illi, quos imperitus esse lupum putare possit, acne, elephantiasis Graecorum, impetigo, cancer cutis et affectiones faciei syphiliticae.

Acne cum lupo primis tantum morborum initiis commutare potest, sed nunquam eo stadio, quo lupus iam vastationes maiores effecit. Willan et Bateman acnen in tuberculorum ordine descripserunt, clarissimus autem Alibert eumque sequens cl. Biett optimo iure eam pustulis annumerarunt. Nam indurationes illae cutis circumscriptae, quas in acnes affectione tubercula nominamus, oriuntur ex pustulis, et hae igitur prima commutatio pathologica habendae sunt. Pustulae acnes et pustulae, ex quibus, ut supra dixi, interdum lupus originem ducit, his propriis distingui possunt. Lupi pustulae plerumque multo maiores sunt, et circuitus earum colorem violaceum, lividum, et ut ita dicam malignum habet, at regio circa acnes pustulas quasi floret colore pulchro rosaceo. Praeterea in acnes pustulis saepe pruritus lenis sentitur, quo lupi affectio pustulosa omnino caret. Pari modo tubercula, acnes pustulas sequentia, cum lupi tuberculis confundi possint, nisi ex colore illorum rubro, ex area erythematosa, et ex pustulis prope ea exstantibus certo concludere possimus, cuius naturae sit malum.

Elephantiasis Graecorum nonnunquam cum lupo, praecipue cum hypertrophico commutari potest, sed hi duo morbi hisce inter se differunt. Lupus est morbus cutis, et a super-

ficie in profundum rodit, elephantiasis primam sedem in tela cellulosa habet, et ex ea in superficiem se extendit. Elephantiasi color e rubro flavus cuti affectae inductus est, tubercula sese praestant tumores parvos, gibbos, inaequales, et singulae tantum faciei partes tumefactae sunt, dum aliae formam normalem retinent. Contra lupi tubercula colorem habent violaceum sive ex violaceo rubrum aliamque formam, quae iam antea descripta est, nec intumescentiae ea comitantes gibbae, sed aequales sunt. Dum ulcerationes lupi magis in profundum rodunt, elephantiasis ulcerationes semper superficiem tantum occupant, neque, ut lupus, partes sanas corripiunt. Denique elephantiasis plurimis in casibus multas alias corporis partes simul afficit, et, quod in diagnosi minime connivendum est, elephantiasin symptomata multa generalia comitantur, quae in lupo omnino desunt.

Observator parum diligens crustas, lupi ulcerationes tegentes, cum impetiginis crustis confundere potest. Sed hae sunt flavae, prominentes, asperae, saepe minus adhaerentes, illae fuscae, sive ex fusco nigrae, crassae, maxime adhaerentes. Symptomata antecedentia, origo morbi et cicatrices formatae naturam mali in lucem proferent. Praeterea ulcerationes, quae crustis decisis apparent, confirmabunt, num impetigo sit morbus, an lupus.

Lupus ab affectionibus illis cancrosis, praecipue faciei, distinguendus est, quae, ut cancer cutis, ex tuberculis et maculis originem ducunt, et ex pertinacia modoque destruendi similitudinem speciemque lupi gerere possunt. Qui autem has morborum differentias animo percepit, nunquam in diagnosi errabit. Lupus homines afficit eatate puerili et iuvenili, rarissime post annum quadragesimum observatur, cancer cutis autem morbus est senibus proprius. Maculae, ex quibus cancer oritur, subnigrae sive ex rubro subnigrae sunt, et superficies earum fragilis et rimosa facile, si tantum digito tangitur, san-

guinem profundit. Tubercula, a quibus cancer saepe primordium capit, sunt dura, circumscripta, et superficies eorum plerumque aspera nec raro verrucosa est. Quae propria si cum propriis macularum tuberculorumque lupi componuntur, nemo in diagnosi errorem faciet. Tum cancer cutis unica tantum macula, sive unico tuberculo se manifestat, sin autem lupus est morbus, maculae tuberculaque compluria adsunt. Praeterea lupi tubercula aegroto nullum dolorem afferunt, at in tuberculis cancrosis dolores vehementes pungentes sentiuntur. Denique cancer cauteriis adhibitis maxime peior fit latiusque se diffundit, et ulceratus non solum cutem cartilaginesque corripit, sed etiam permagnas efficit ossium vastationes. A lupo nunquam ossa, exceptis ossibus nasi propriis, affici, iam supra dixi, et cauteria actualia et potentialia a clarissimis medicis ad eum sanandum adhiberi, in capite, quo de cura lupi agam, accuratius mihi explicandum est. Ulcerationes, quae ex cancri maculis et tuberculis oriuntur, margines habent duros prominentes, circumflexos, dolores afferunt vehementes, pungentes, saniem decolorem, interdum cruentam profundunt, et plurimis in casibus aspectum fungosum luxuriantemque praebent. Nonnunquam ulcerationum fundus est ruber et laevis, et crustis se tegit aut nullis, aut ex griseo flavis, torridis, minus adhaerentibus. Membrana pituitaria a cancro non afficitur, neque cutis telaque cellulosa eo modo destruuntur, ut contractio narium et oris sequatur. Haec omnia in lupi ulcerationibus multo aliter se habere, ex iis, quae supra a me dicta sunt, facile colliges.

Affectiones faciei syphiliticae imprimis cum lupo commutari possunt, si uterque morbus tuberculis se manifestat. Sed tubercula syphilitica sunt maiora, duriora, rotunda, colorem habent cyprium, nunquam exfoliatio in iis videtur, neque tam facile in ulcerationem transeunt. Cl. Cazenave et Schedel commemorarunt, tubercula faciei syphilitica, quae

symptomata consecutiva infectionis syphiliticae sint, plerumque in aetate provectiore inveniri, at lupum praecipue in hominibus iunioribus evolvi. Quamquam haec optimo iure dicta sunt, tamen in diagnosi haud magni momenti mihi esse videntur, quum et constet, viros quoque saepe lupo laborare, et non ita raro infantes quoque viro syphilitico infectos et syphiliticis affectionibus quasi obtectos reperiamus. — Ulcerationes, quae ex tuberculis syphiliticis oriuntur, a lupi ulcerationibus facillime internoscendae sunt. Illae enim sunt profundissimae, et margines tumefacti et prominentes colorem cyprium habent, hae autem propria supra descripta praebent. Lupi ulcerationes multo lentius decurrunt et alio modo partes destruunt, quam ulcerationes syphiliticae. Hae enim in casibus descriptis primo ossa corripiunt, quibus carie et necrosi destructis, cutem arrodunt, lupus autem primum impetum in cutem facit, et rarissime post longum tempus ossa laedit. Denique syphilis omnibus fere in casibus symptomata morbosque secundarios secum ducit, quorum lupus omnino est expers, inter quae prae omnibus ossium dolores, exostoses, iritis, et ulcerationes pharyngis velique palati enumeranda sunt.

CAPUT VII.

Aetiologia.

Lupus praecipue homines in pueritia et adolescentia afficit, quum nunquam in infantibus reperiatur, et rarissime tantum post annum aetatis quadragesimum observetur. Multi autores contendunt, utrumque genus, quod attinet ad hunc morbum, in eadem conditione esse, sed clarissimus Blasius[1]) affirmat, se plures homines generis feminini quam masculini

---

1) Ernst Blasius: Handwörterbuch der gesammten Chirurgie und Augenheilkunde. Berlin 1838. Tom. III. pag. 386.

hoc morbo laborantes vidisse. Multo saepius ruri quam in oppidis lupus conspicitur, et hic praesertim inopes et mendicos, nunquam fere divites aggreditur. Causam morbi permultis in casibus syphilis et scrophulosis inferunt, sed lupus plerumque suae potestats fit eo modo, ut, morbis causalibus iam diu victis, ipse pertinaciter perduret. Horum, quae dicta sunt, veritas praecipue in lupo ex causa scrophulosa agnoscenda est. Si enim pueros scrophulosos haec morbi species corripit, saepissime eos ultra pubertatis annos persequitur nec evanescit, etiamsi iam nullum scrophnloseos symptoma exstet. Multis in casibus omnia vestigia dyscrasiae alicuius desunt, malum, ut ita dicam, uno ictu adest, neque interna neque externa eius causa reperiri potest. Si praeterea tibi dixero, lupi, quod attinet ad formam decursumque, conditionem esse unam eandemque, quaecunque eius sit causa, nec remediis antisyphiliticis antiscrophulosisve solis lupum ex his morbis ortum exstingui posse, mihi concedes, dyscrasiam esse lupi propriam, dyscrasiam luposam. Homines, qui in aëre gravi et pestilenti vivunt, quique aut in alimentorum penuria sunt, aut cibos bonae valetudini contrarios assumunt, facilius a lupo corripiuntur, quam ii, qui conditionibus faustioribus utuntur. Inaequabilitates mensium, et haemorrhoidum oppressiones, quas cum lupo coniunctas videmus, effectus potius, quam causae morbi habendae sunt. Inter cutis morbos, qui interdum ante lupi ortum adsunt, ut tinea mucosa, et hunc, de quo agimus, morbum, nulla videtur intercedere ratio. Altiores lupi gradus contagiosos esse, cl. Chelius[1]) in libro suo contendit.

1) Chelius: Handbuch der Chirurgie. Stuttgart 1830. Tom. I. Sect. I. pag. 341.

CAPUT VIII.

Prognosis.

Quamquam lupus, ut in capite de morbi decursu dixi, rarissimis tantum in casibus exitum letalem habet, prognosis tamen mala dicenda est propter pertinaciam saepe invictam et propter deformitates et vastationes, quas efficere solet. Quo diutius morbus duravit, quoque vehementius partes correptas destruxit, eo infaustior est prognosis. Si altior hypertrophiae gradus cum lupo coniunctus est, morbus plerumque est pertinacissimus; si praeter luposam non alia dyscrasia adest, rarissime radicitus malum sanatur. Praeterea prognosis peior habenda est, si cicatrices conformatae denuo exulcerantur, earumque in circuitu tubercula nova oriuntur. In iis casibus, in quibus cicatrices molles manent, colorem caeruleum, lividum habent, et digitis tangentibus fluctuatio sentitur, ne iterum ulcerentur valde timendum est. Si pueri pubertatem ingrediuntur et puellae mensibus fluentibus nubiles fiunt, non commutationes tam felices oriri solent, ut propterea prognosis faustior dicenda sit. Saepe cum lupo hypertrophico erysipelas faciei coniunctum est, id quod interdum malam, sed plurimis in casibus mutationem felicem faustamque affert. Cazenave et Schedel compluries se observasse contendunt, erysipelatis vi superficiem correptam accepisse aspectum meliorem, in cuti circulationem sanguinis adauctam esse, et hoc modo morbum paulatim in melius se vertisse. Quamquam non dubitamus, quin aptis remediis adhibitis lupi decursus retardari, imo aegri valetudo in melius inclinari possit, tamen plurimi medici peritissimi, inter quos cl. noster Wutzer, morbum radicitus esse sanabilem non putant. Equidem confiteor, me nunquam casum vidisse, in quo lupus remediis internis aut externis prorsus victus esset. At permultos casus observavi,

in quibus, quamquam apta cura iam conditionem meliorem adduxeramus, post aliquod tempus morbus iterum in peius se vertit, et decursu rapidiori partes destruxit.

CAPUT IX.

Cura.

Sicut medici contra eos morbos, qui pertinaciter perdurant, neque facile aut nequaquam sanari possunt, multas curandi methodos multaque remedia adhibere solent, ita contra lupum quoque, ut ita dicam, magnum remediorum exercitum in pugnam ducunt. De parvo illorum remediorum numero, qui a medicis peritis cum fructu aliquo applicatus est, nonnullis verbis agere mihi proposui.

Si causa morbi universalis adest, haec prae omnibus est respicienda. — Contra lupum ex causa scrophulosa omnia remedia, quae in scrophulosi laudantur, et quidem magna cum perseverantia per longum tempus adhibenda sunt. Primum certo vivendi modo ac lege aegrotus ad curam, quae proprie ita dicitur, se praeparet, libero fruatur coelo, pluries per diem totum corpus aqua frigida lavet, cibis sanis, imprimis carne bovina aut lixa, aut cruda in partes minimas concisa, et ovis vescatur, pane domestico autem solanique tuberosi radicibus plane abstineat. Quo modo si aegrotus post longius breviusve tempus quasi bellum paravit, remedia antiscrophulosa adhibenda sunt. Inter quae primum locum obtinet oleum iecoris aselli, quod maxime a cl. Hesselbach[1]) commendatur. „Iam lupum, inquit, qui per annos complures remediis omnibus contra eum laudatis, imprimis hydrargyro et auro muriatico, frustra impugnatus erat, illo (i. e. oleo

1) A. K. Hesselbach: Handbuch der chirurgischen Pathologie und Therapie. Jena 1844. §. 221. pag. 118.

iecoris aselli) radicitus sanavi.“ Tum a multis medicis aliquo cum fructu adhibita sunt: barytum muriaticum, magnae cicutae doses, praeparata iodi et ferri, imprimis ferrum iodatum, et decoctum Zittmanni.

Si lupus originem ducit ex dyscrasia syphilitica, interne aptissime hydrargyri praeparata adhibentur. Inter quae hydrargyrum bichloratam corrosivum omnibus aliis anteponendum est, quippe quod rarissime salivationem procreet. Cum opio coniunctum hac formula praescribatur:

℞ Hydrarg. bichlor. corros. gr. III
solve in:
aq. destill. ferv. ℈I
adde:
opii pulver. gr. III
pulv. rad. alth. ℈II
succ. liquir. dep. q. s.
ut f. pil Nro. XXX. consp. pulv. rad. alth.

Quarum pilularum horis matutinis et vespertinis sumatur una, post nonnullis diebus dentur tres per diem, tum quatuor, quinque, sex et plures, nisi dolores in imo ventre oriuntur. Quod si accidit, aut minor dosis detur, aut pilulae per aliquos dies omnino seponantur. Simulac aegrotus cum his pilulis decoctum radicis Sarsaparillae bibat. Cl. Berg hydrargyrum oxydatum rubrum cum antimonio coniunctum hac formula commendat:

℞ Stibii sulph. nigr. laevig. ʒII
hydrarg. oxyd. rubr. gr. I
m. f. pulv. subtiliss. div. in part. aeq. Nro. VIII.

Quorum pulverum initio duo per diem sumantur, ita ut aegrotus hydrargyri oxydati rubri grani quadrantem quo-

que die assumat. Paulatim dosis adaugeatur usque ad duo grana hydrargyri pro die, tum autem pari modo paulatim ad grani quadrantem revertendum est. Praeterea in lupo syphilitico decoctum Zittmanni et prae omnibus cura inunctionis unguenti hydrargyri et abstinentiae valde recommendata sunt. Quae curae quo modo instituendae quaeque in his cavenda sint, omnibus erit notum.

Si dyscrasia causalis non adest, sanationis aut ameliorationis spes multo diminuitur. Nihilo minus remedia nonnulla cum fructu aliquo adhibita sunt, inter quae oleum animale Dippelii, tinctura cantharidum, arsenici, ferri, hydrargyri praeparata, et decoctum Zittmanni.

Postquam aegrotus remediis internis quasi ad altiora est praeparatus, ad remedia externa transeundum est. Quae sunt aut remedia alterantia, aut cauteria actualia et potentialia. Alterantia praecipue in primordio mali, in lupo exfoliativo et hypertrophico adhibenda sunt, cauteria autem, si lupus iam vastationes maiores effecit, et ulcerationes sunt malignae. Primi ordinis sunt natrum muriaticum, oleum animale Dippelii et linimentum Keyi hac formula:

℞ Unguent hydrarg. ciner. ℥Iβ
camph. trit. ʒI
spirit tereb. ʒIβ
axung. porc. ℥β
m. f. linim.

Quibus omnibus cl. Biett anteponit protoioduretum et deutoioduretum hydrargyri formula haece:

℞ Protoiodur. hydrarg. ʒβ
(sive: deutoiod. hydr. ℈I)
axung. porc. ℥I
m. exactiss. f. unguent.

In clinico chirurgico Halensi a cl. Blasio magna cum utilitate unguentum adhibitum est hocce:

℞ Unguent. hydrarg ciner. ℥β
Kali hydroiodic. gr. XV.
m. exactiss. f. unguent. d. s. ad infric.

Facile intelliges, legibus affinitatis chemicae ex unguento hydrargyri et kali hydroiodico procreari iodureta hydrargyri, ita ut unguentum simile unguenti Bietii exsistat. Cl. autem Blasius contendit, unguentum ab ipso praescriptum maiorem utilitatem afferre, quam illud, in quo iodureta hydrargyri pura cum axungia porci mixta sint.

Cauteriis lupus fortasse a cuti externa depelli potest, rarissimis autem in casibus remediis illis radicitus sanatur, etiamsi apta internorum remediorum cura usus cauteriorum magno cum studio praeparatus sit. Plerumque enim in tunica mucosa narium loca aegra remanent, quippe quae cauteriis contingi non possint, atque iterum iterumque non solum in externas, sed etiam in internas regiones diffundantur. Nihilo minus et tubercula singula, et maiora ulcera, cauteriis, si adhiberi possunt, multa cum utilitate delentur. Quo modo certe magnum illud assequimur, ut rapido morbi decursui moram et tarditatem afferamus, neve partes sanae in morbi processum deducantur. Si ulcera maiora cauteriis aggredi volumus, primum crustae inhaerentes solvendae, et tum singulae superficiei correptae partes una post alteram delendae sunt. Cauteria potentialia, quae a clarissimis medicis laudantur, haec sunt: argentum nitricum fusum, kali causticum, butyrum antimonii, liquor hydrargyri nitrici, hydrargyrum praecipitatum rubrum, zincum muriaticum, et arsenicum secundum Cosmi, Helmundii et Dupuytreni praescriptiones. Inter quae Cl. Graefe hydrargyrum bichloratum corrosivum maxime laudat hac formula:

℞ Hydrarg. bichlor. corros. ʒII
aq. destill.
gumm. mimos. aa ℈II
m. f. unguent. spiss.

In clinico nostro Bonnensi magno cum fructu multis in casibus ferrum candens adhibuimus. Equidem puto, cauterium hoc actuale anteponendum esse potentialibus cauteriis, primum quum effectus eius multo magis in manibus nostris sit positus, tum, quum aegrotum non doloribus nimis diu perdurantibus vexet. Si crusta cauterisationem sequens solvitur, neque pus bonum et laudabile apparet, denuo cauteria sunt adhibenda. — Prae omnibus in lupo curando cavendum est, ne nares contrahantur aut omnino concludantur. Quod ne accidat, caules pennae sive tubuli plumbei naribus imponantur, donec firma cicatrix conformata sit. Si autem nihilo secius nares concluduntur vel os coartatur, vel si ectropia exsistunt vel si nasus aut alia faciei pars destructa est, operationibus tantum autoplasticis aegroto auxilium afferri potest.

Curriculum vitae.

Ego Joannes Julius Köhnen natus sum Elberfeldiae anno MDCCCXXVI, patre Joanne Martino, quem superstitem pio gratoque animo veneror, et matre Maria Anna, e gente Schlüter, quam praematura morte mihi abreptam valde lugeo; fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis imbutus per novem annos gymnasium Elberfeldense, quod directore ill. Bouterweck floret, frequentavi. Testimonio maturitatis instructus, tempore autumnali anni MDCCCXLVII Bonnam me contuli ibique a cl. van Calker rectore t. t. Magnifico inter cives academicos receptus nomen dedi apud cl. Weber, gratiosi medicorum ordinis t. t. decanum spectatissimum. Per decem semestria praelectionibus interfui hisce: de logice et psychologia audivi cl. van Calker, de physice cl. Plücker, de chemia cl. Bischof, de mineralogia cl. Noeggerath, de zoologia cl. Budge, de botanice cl. Treviranum, quem praeceptorem etiam in excursionibus botanicis secutus sum. In anatomia generali et speciali, et in arte cadavera secandi praeceptores mihi fuerunt cl. Mayer et Weber, praeterea de situ viscerum collegium privatissimum audivi apud cl. Budge. De physiologia praelectionibus interfui cl. Schaafhausen, de pathologia generali cl. Naumann, de materia medica, de arte formulas medicaminum rite concinnandi et de anatomia pathologica cl. Albers. In pathologia et therapia speciali praeceptores mihi fuerunt cl. Naumann et cl. beatus Nasse, in chirurgia

cl. Wutzer et Hoppe, in arte obstetricia sicut in medicina forensi cl. Kilian. De historia artis medicae et de politia medica cl. Harless audivi. In clinico et policlinico medico dux mihi fuit cl. beatus Nasse, et post eius obitum cl. Naumann, in clinico chirurgico et ophthalmiatrico cl. Wutzer, in clinico obstetricio sicut in exercitationibus phantomatis cl. Kilian. — His viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam possum maxumas semperque pium gratumque animum servabo.

Theses.

1. *Nullus morbus est incurabilis.*
2. *Est dyscrasia lupi propria, dycrasia luposa.*
3. *In lupi cura cauterium actuale potentialibus cauteriis antepono.*
4. *Optimae methodi sectionis caesareae sunt eae, quas in aut iuxta lineam albam instituimus.*
5. *Foetum vivum perforare licet, foetum vivum perforare non licet.*
6. *Hydrops non est morbus, sed morbi symptoma.*
7. *De animi morbis medicus solus iudicare potest.*